

panniculi aqua imbuti, baptismus conferatur (et idem dici in matre viva operatio sive caesarea sive *Porro*, cum dicto periculo, perficeretur). Quamvis autem foetus in utero matris adhuc existens baptizatus fuisse, et quidem in capite, si vivus nasceretur denuo sub conditione baptizari deberet. Ita S. C. C. 12 *Inl.* 1794, et novissime 16 *Mart.* 1897 (apud Alberti *Theol. pastor. P. I n. 6 not. 2*).

#### ARTICULUS V.

##### *De inscriptione baptizatorum in proprio libro.*

180. Hoc in puncto observanda sunt sequentia.

I. Probe cognoscantur regulae, quae prostant in Rituali (*Tit. Formulae scribendi etc.*).

II. Praeter librum consuetum, habeatur etiam liber notitiarum secretarum.

III. In libro consueto 1º filii coniugatae conviventis cum marito vel etiam a decem mensibus sive non conviventis cum illo sive viduae, scribantur sub nomine nedum matris ipsius sed etiam eiusdem mariti; nec ad quidquam in contrarium adducatur parochus attendat. 2º Filii ex matrimonio civili scribantur ut supra, sed cum adnotatione relativa. 3º Filii nati extra quodlibet matrimonium ex parentibus sive incognitis prorsus, sive suorum nominum inscriptioni nullatenus aut non certe consentientium, scribantur cum adnotatione *ex parentibus ignotis vel de domo Dei*. 4º Idem filii illegitimi scribantur tamquam ex matre nota et patre ignoto si ille solus revera vel esset ignotus, vel posset denuntiari mendaciter, vel inscriptioni sui nominis non certe et indubitanter consentiret. Si autem qui puerum deferunt, patrem quoque (non indubitanter consentientem) indicarent, tunc fiat adnotatio *vide librum notitiarum secretarum*, et in illo scribatur nomen patris, sed caute, dicendo v. g. *ut aiunt*, vel *ut relatum fuit*, vel *ut institerunt scribi* etc. Post inscriptionem autem infantis ille-

gitimi relinquatur spatium, ut prolis legitimatio, si forte in posterum subsecutura erit, adnotari valeat.

181. Solum autem in dicto libro notitiarum secretarum (qui etiam in paroeciis quae sunt sine fonte baptismali esse deberet) scribantur infantes 1º baptizati occulte, quia pater baptismu consentire noluit; 2º baptizati, invitatis parentibus, ab obstetricie v. g. quia in periculo mortis versari credebantur, et postea supervixerunt.

#### CAPUT VII.

##### **De Sacramento Confirmationis.**

182. *Quaenam sunt parochi circa sacramentum istud obligationes?* Debet instruere populum circa illius naturam, et effectus; circa obligationem illud suscipiendi; circa aetatem; dispositiones; patrinos etc. Debet insuper specialem adhibere curam 1º (certiorem faciendo Episcopum) si in paroecia sua multi sine hoc sacramento iam adolescere inciperent; 2º si aliquis iam adultus non adhuc confirmatus esset (maxime occasione sacrae visitationis); 3º si puer esset moribundus, et Episcopus solitus esset ad privatas domos in hunc finem accedere, idque facile obtineri posset. Maxime autem debet 4º disponere pueros ad hoc sacramentum, speciatim occasione illius publicae administrationis. Debet denique 5º inscribere confirmatos in libro parochiali (si in Dioecesi talis esset consuetudo) iuxta formulam in Rituali praescriptam. Cf. Frassinetti (*Man. n. 302*).

#### CAPUT VIII.

##### **De Sacramento Eucharistiae in Ecclesia administrando.**

Agendum est 1. De instructione circa hoc sacramentum populo danda, et de cura ut fideles frequenter illud suscipiant. 2. De obligatione illud administrandi. 3. De casibus in quibus a sacra mensa aliqui impediri aut repelli possunt vel debent.